


E MURCIA  
Merced  
ridica  
S

C  
7

AGH  
IV  
FR

UNIVERSIDAD DE  
Biblioteca C. M.  
Sección Ju  
E0296

**IDC**  
**487**



10 C - 187





1DC-487

ODORABILIS ACHENIUM

DEI

UNIVERSITATIS LITTERARUM  
ET ARTIUM GEORGIAE AVGVSTAE  
MDCCLXXV

AD ACADEMIAE CONSILII

ET IN UNIVERSITATE LITTERARUM

GEORGIA AVGVSTA

DEI MDCCLXXV

MDCCLXXV

IVRIS GENTIVM

FRAGMENTVM

FRAGMENTVM

MDCCLXXV

MDCCLXXV

MDCCLXXV

190-108

GODOFREDI ACHENWALLI

DVM VIVERET

AVGVSTISSIMO MAGNAE BRITANNIAE  
REGI ATQVE ELECTORI BRVNSVICO-  
LVNEBVRGICO

AB AVLAE CONSILIIS

ET IN VNIVERSITATE LITTERARVM

GEORGIA AVGVSTA

IVRIS NATVRAE ET GENTIVM AC

POLITICES P. P. O.

IVRIS GENTIVM

EVROPAEARVM

PRACTICI

PRIMAE LINEAE

FRAGMENTVM LIBELLI

OB B. AVCTORIS MORTEM ADPECTI NVNC  
TANDEM IN LVCEM EDITVM.



---

GOTTINGAE,

APVD BOSSIGELIOS, PATREM ET FILIVM

cl̄l̄ccclxxv.

1775  
20



GOODRICH ACHERNALL

DEPARTMENT

UNIVERSITY OF CALIFORNIA

REGISTRATION DEPARTMENT

LIBRARY

IN ACADEMIC COUNCIL

ET IN UNIVERSITATE LITERARUM

GEORGIA AUSTRIA

IN HIS NATURAL ET GENITIVIS

FORUMS P. P. O.

IVRIS GENTIVM

EVROPAEARUM



GOTTINGEN

STATE BOSSINGHOE PARKER STATION

classical

# CONSPECTVS LIBELLI.

Prolegomena, §§. 26. p. I - II.

Sectio I, Ius Gentium practicum generatum, §§. 44. 12 - 23.

Sectio II, Ius Pacis.

Tit. I, obseruantia gentium circa conseruationem & libertatem rei publicae, §§. 35. 24 - 34.

Tit. II, obseruantia gentium circa dignitatem reipublicae, §§. 67. 35 - 51.

Tit. III, obseruantia gentium circa territorium reipublicae, §§. 29. 51 - 57.

Tit. IV, obseruantia gentium circa maria, §§. 56. 58 - 72.

LECTOR

CONJECTIVAE LIBELLUM

Prolegomena, §§. 26. 71-72

Secio I, de Genium prognosticis formis  
libellum, §§. 44. 73-74

Secio II, de Factis.

Tit. I, observationis formae et circi  
conditionum & libellum et  
libellum, §§. 25. 75-76

Tit. II, observationis generum circi  
dignitatem reprobata, §§. 67. 77-78

Tit. III, observationis gradum circi  
reprobata, §§. 68. 79-80

Tit. IV, observationis gradum circi  
libellum, §§. 26. 81-82

LIBELLUM

LECTORIBVS BENEVOLIS  
BIBLIOPOLAE S. P. D.

**T**andem Vobis, L. B. libelli, cui immortuum dolemus auctorem clarissimum, tradimus fragmentum. Quod quum ante letalem viri beati mortuum typis iam esset exscriptum lectionibusque inseruiret, cur tamdiu luci exponere publicae cessauerimns, rationes Vobiscum videntur communicandae. Schedas nempe omnes ab auctore suo derelictas, ne doctoribus iam nostris ac futuris opes desint Achenwallianae, coëmit liberaliter REX SAPIENTISSIMVS, Georgiaeque SVAE Augustae donauit. Munus igitur REGIVM iam nobis quoque ac reipublicae litterariae fore emolumento sperauimus, si quis eruditus ex schedis b. auctoris perficere conaretur opusculum adfectum. Quod qui vel maxime potuissent, eosdem religio nominis tenuit Achenwalliani:  
qui

qui tamen nobis, ne interire viri clarissimi reliquias sineremus, fuerunt auctores. Quod consilium etiamsi gratum fore Vobis, B. L. consideremus: tamen, si quis eruditorum Ius Gentium Europaearum hodiernarum Practicum methodo Achenwalliana elaborare, idemque adnotationibus historicis ac librorum notitia instruere sit conaturus, hunc, ne nobiscum suum consilium communicare dedignetur, obseruanter volumus rogatum. Gottingae, ante mercatum Lipsiensem librarium, anno **C I C I C C C L X X V.**

**BOSSIGELII**

**pater & filius.**

**IVRIS**



# IURIS GENTIVM

## PRACTICI

### PRIMAE LINEAE.

---

#### PROLEGOMENA.

##### §. I.

**Q**uodsi consideramus statum Gentium Europaearum hodiernum, atque speciatim attendimus ad modum agendi, quo in mutuis negotiis vti erga se inuicem solent: ex factis ipsarum eorumque comparatione concipere atque cogitatione eruere possumus plures longo inter ipsas vsu introductas agendi normas seu *consuetudines*, quae instar legum ab iisdem obseruantur; licet ex Iure Gentium Vniuersali,

A

fali,

## 2 IUS GENTIVM PRACTICVM.

fali, qua leges, deduci non possint, sed in aliis ad charitatis et socialitatis officia, in aliis ad regulas decori vel prudentiae pertineant.

### §. 2.

Consuetudines eiusmodi, quae inter omnes vel certe plurimas Europae hodiernae Gentes Christianas obtinent, *uniuersales* (communes) *consuetudines* appellantur, earumdemque complexus et scientia recepto nomine vocatur IUS GENTIVM PRACTICVM (Ius Gentium Europaearum Consuetudinarium, Obseruantia Gentium).

### §. 3.

Consuetudines vero talismodi ex repetitis actibus conformibus sunt enatae, quibus gens genti quaedam praestitit faciendo vel non faciendo vel patiando, ad quae facienda vel non facienda vel patianda naturaliter haud obligabatur.

### §. 4.

Atque ideo vi harum consuetudinum Gentibus Europae hodiernis quaedam habentur obligatoria, debita, praecepta, prohibita, minus recta, illicita, iniusta, et tamquam iura  
vel

vel tamquam obligationes spectantur; quae Iure Gentium Naturali talia esse non intelliguntur.

§. 5.

Ius itaque Gentium Practicum (si, quas complectitur propositiones, legibus, iuribus, obligationibus licet accensere), est species Iuris Positivi et Particularis:

§. 6.

atque differt non solum a Iure Gentium Naturali seu Vniuersali illo, quod Externum seu Cogens et Strictum nominatur;

§. 7.

sed etiam a Iure Gentium Interno seu Ethico;

§. 8.

singulatimque et ab illa eiusdem specie et parte, quae, ex notione Societatis et Ciuitatis maximae deriuata, quibusdam *Ius Gentium Voluntarium* appellatur;

§. 9.

quin etiam a *Iure Gentium Europaearum Partitio*.



## §. 10.

Et quoniam in Iure Gentium Practico non continentur nisi *consuetudines communes plurimis Gentibus* receptae; exclusis iis, quae inter hunc illumve dumtaxat populum forte obtinent, atque duabus vel paucioribus gentibus *propriae* sunt: differt Ius Gentium Practicum ex instituto nostro etiam a Iure Practico certarum Gentium proprio.

## §. 11.

Tanto minus heic loci in considerationem venire possunt consuetudines, quae in negotiis gentis cuiusque domesticis vigent; tamen si plurimis etiam vel omnibus Ciuitatibus Europae hodiernis fuerint communes. Harum tractatio, in qua vnice ad statum Reipublicae intrinsecum respicitur, Ius quoddam Practicum Publicum constitueret; quum contra ea Ius Practicum Gentium non attendat nisi ad eas consuetudines, quae in negotiis gentis cum gente, hoc est in *extraneis negotiis* obtinent.

## §. 12.

Ius Gentium Practicum tradit differentias obseruantiae Gentium nostrarum a Iure Gentium Naturali. Atque eatenus Ius Practicum oppo-

opponitur Naturali tamquam Iuri theoretico: nempe vsus Gentium seu praxis hodierna distincta est a theoria Iuris Vniuersalis.

§. 13.

Praxi igitur Gentium Europae quaedam adduntur vel demuntur Iuri Vniuersali: quod consuetudines ipsarum recedunt quodammodo quum a rigore, tum a simplicitate, vel denique etiam ab aequalitate Iuris Naturalis.

§. 14.

Atque haec omnia fieri possunt lumine sanae rationis vel iubente vel certe non vetante. Eatenus *consuetudines* Gentium Europae sunt *rationales*, quae solae sibi in Iure Gentium Practico locum vindicare possunt; irrationalibus, si quae dantur, neutiquam admissis.

§. 15.

Commemorantur iam priscis temporibus consuetudines certis gentibus receptae, quibus rigor Iuris Naturalis quodammodo fuit temperatus, et simplicitati eiusdem superadditae quaedam sollempnitates. Antiquissimae consuetudines gentibus debentur cultioribus, inter quas primum sensimque coeperunt inualescere.

## §. 16.

Medio aevo alia longe facies exstitit vt status Europae publici, sic etiam iurium atque obligationum consuetudinariarum inter Gentes Europae obtinentium.

## §. 17.

Renascentibus litteris plures pedetentim consuetudines deletae, aliae inuectae.

## §. 18.

Nostrium, quo Europaeae Gentes in praesentiarum vtuntur, Ius Practicum, inde potissimum a tempore Pacis Westphalicae sancitae est repetendum.

## §. 19.

Disciplina Iuris Gentium Practici communem cum Iurisprudencia Naturali agnoscit patrem atque conditorem GROTIUM, qui eodem *de iure belli et pacis* opere vtriusque scientiae argumenta in quamdam artis formam primus redegit. Etenim ex Grotii sententia Ius Gentium omne nihil est aliud quam illud ipsum Ius, quod nunc peculiari appellatione Ius Practicum Gentium vocatur: quippe Ius suum Gentium totum deriuat ex consensu moratorum  
seu

feu ex moribus cultiorum gentium. De reliquo Grotius iura ac obligationes gentium ex factis veterum populorum et sapientum antiquorum dictis vnice ferme deducit: vnde factum, vt magis priscarum gentium praxin explicuisse, quam nostris gentibus Ius scripserit sit existimandus.

§. 20.

Post Grotium ZOVCHAEVS 1) praecipue et TEXTOR 2), vestigiis Grotii insistentes, historia tamen recentiori simul in auxilium vocata, hanc disciplinam scriptis suis illustrauerunt.

1) Richardi ZOVCHAEI Iuris et Iudicii Feccialis seu Iuris inter Gentes et quaestionum de eo explicatio, Oxon. 1650. 4, it. Lugduni Batauor. 1651. 8, Hagae Com. 1659. 12, Mogunt. 1661. 12.

2) Ioh. Wolfgangi TEXTORIS Synopsis Iuris Gentium, Basil. 1680. 4.

§. 21.

Quum deinde PVFENDORFFIVS, Iuris Gentium Vniuersalis atque Practici rationibus a se inuicem separatis, istud e Iure Naturali eliminasset; cultura Iuris Gentium Practici languere

scere quodammodo coepit, donec ad illud de-  
nuo excolendum accessere Burch. Gotthelf  
STRVVIVS 1) atque Ioh. Iac. MOSER 2),  
qui nostra aetate commentariis suis optime de  
hac scientia meruerunt.

1) Burcardi Gotthelf STRVVII *Iurisprudenzia heroica* seu Ius quo Illustres vtuntur Priuatum, ex innumeris exemplis, Actis Publicis atque historiarum monumentis omnis acui illustratum: edidit et auxit Ioh. August HELLFELD, Ienae tom. VII., 1743 = 1753. 4. Hoc opere, cuius quaedam partes reliquae adhuc desiderantur, absoluto expectamus eiusdem STRVVII *Ius Illustrium Publicum*, quod multo propius ad institutum nostrum pertinet.

2) Ioh. Iac. MOSERS *Grundsätze des ictzt-üblichen Völker-Rechts in Friedenszeiten*, Hanau 1750. 8.

Eben desselben *Völker-Recht in Kriegszeiten*, Tübingen 1752. 8.

§. 22.

Non commemorabimus hoc loco plures alios Iurisconsultos clarissimos, qui singularia quaedam huius Iuris themata egregiis disquisitionibus exposuere. Euolui ea de re possunt Bibliothecae Iuris Naturae et Gentium.

## §. 23.

Quoniam ex factis Gentium Europae hodiernarum consuetudines earundem communes, hinc Ius Gentium Practicum deducendum; probationibus historicis Ius nostrum stabiliri debet atque roborari. Quae quidem probationes ex Actis Publicis scriptoribusque historicis recentiorum temporum nostrique imprimis Saeculi depromendae sunt.

Pertinent huc intra plura alia scripta praecipue

## I. ex collectionibus Actorum Publicorum:

MEYERI aliorumque Acta Pacis Westphalicae vna cum Actis insequentium pacis pactionum, Pyrenaeae, Nouiomagensis, Ryswicensis, Traiectinae, Aquisgranensis pacis cet.

FABRI Staats-Canzeley,

Memoires de LAMBERTY,

Actes et Memoires depuis la Paix d'Vtrecht  
par ROUSSET,

Sammlung der Staatschriften nach Carls VI.  
Ableben nebst deren Fortsetzungen,

Teutsche Kriegs-Canzeley seit 1756.

Theatrum Europaeum et Diarium Europaeum,

IO IVS GENTIVM PRACTICVM.

Mercure historique et Politique, Europäische  
Fama et id genus aliae ephemerides politicae.

II. ex scriptoribus historicis:

Memorie recondite e Mercurio di Vittorio  
SIRI,

PVFENDORFFII Commentarii de rebus Sue-  
cicis, res gestae Caroli Gustavi atque Friderici  
Wilhelmi,

NORDBERG's Leben und Thaten Caroli XII.

Memoires de MONTGON pluriumque alio-  
rum.

§. 24.

Neque tamen in Iure Gentium Practico ar-  
gumentis philosophicis locus plane omnis de-  
negandus: quod et ista ad meliorem commu-  
nium consuetudinum intelligentiam, confir-  
mationem atque illustrationem multis modis  
possunt inferuire.

§. 25.

Datur quaedam etiam probatio legis con-  
suetudinariae ex *analogia*, hoc est ex compara-  
tione eiusdem cum factis vel consuetudinibus  
similibus. Atque talis probatio vt recte se ha-  
beat,

beat, requirit 1) identitatem rationis in comparatis, ut scilicet in factis vel consuetudinibus similibus atque thesi probanda deprehendatur ratio communis, 2) negationem consuetudinis contrariae, ne scilicet obftet contraria praxis.

## §. 26.

Pertinet probatio analogica ad subsidiarias et artificiales, qua id, quod ob infrequentiam casus ipsa observantia nondum est definitum, fieri posse vel debere argumento observantiae similis ostenditur.







SECTIO I.  
IVS GENTIVM PRACTICVM  
IN GENERE.

§. 1.

Quod ad origines Iuris Gentium Practici at-  
tinet, non ex vno eodemque fonte  
omnes consuetudines promanarunt.

§. 2.

Primas atque praecipuas inuexit dubio pro-  
cul salus gentium communis,

§. 3.

consequenter studium aequitatis naturalis

§. 4.

atque cultura Politices seu Prudentiae Ci-  
uilis.

§. 5.

Alias addidit quum religio Christiana,

§. 6.

immo et eius abusus;

§. 7.

§. 7.

tum potentia diuersarum ciuitatum inaequalis;

§. 8.

pacta nonnullarum gentium, quorum normam gentes aliae vltro secutae;

§. 9.

foederum, maxime perpetuorum,

§. 10.

atque commerciorum nexus arctior;

§. 11.

decorum aulicum, quod indulget splendori, et maiestaticae dignitatis imagine vndequaque superbire gestit;

§. 12.

ratio noua belligerandi et militis perpetui institutum;

§. 13.

et generatim constitutio ciuitatum nostrarum hodierna peculiaris et quadantenus homogenea, atque ad formam consimilem multisque modis quasi vnam et eandem ordinata;

§. 14.

## §. 14.

denique negotiationes gentis cuiusque cum gente quaque perpetuae,

## §. 15.

et Systema illud, quo Gentes Europae invicem hodie cohaerent, politicum.

## §. 16.

Perspectis fontibus, vnde tum origines atque causae, tum probationes consuetudinum derivantur, facile est ad animaduertendum, variarum disciplinarum rerumque multarum requiri cognitionem, ut peruenire ad Iuris Gentium Practici detur intelligentiam.

## §. 17.

Quodnam sit fundamentum obligandi Iuris Gentium Practici, ardua est quaestio. Grotius et qui ipsum sequuntur, consuetudinibus moratorum populorum tribuit vim pactitiae obligationis ex consensu tacito, factis nimirum declarato.

## §. 18.

Observandum, dari consuetudines mixtas, hoc est normas agendi, quae inter quasdam gen-

gentes inde a diuturno tempore vigent vi pacti specialis, expressi vel taciti, inter reliquas solo vsu sustinentur. Istaе normae referuntur ad consuetudines, quatenus in vniuersum spectantur. Sed hoc loco loquendum de consuetudinibus qua talibus.

§. 19.

Notandum porro, normas agendi, quae his consuetudinibus insunt, si per se et secundum Ius Naturale Strictum considerantur, non continere obligationem externam et perfectam, sed dumtaxat internam atque imperfectam.

§. 20.

Inde consequitur, vt omnes obligationes consuetudinariae, iura consuetudinaria, officia consuetudinaria, per se et quoad Ius Vniuersale spectatae, referri debeant ad internas atque imperfectas; ideoque etiam actiones consuetudinariae ad actiones meri arbitrii et indifferentes pertineant.

§. 21.

Sume igitur consuetudinem. Quum nuda praestatio officii imperfecti, etiam aliquoties  
et

et longo atque continuo usu repetita, per se non inuoluat declarationem voluntatis sufficientem, ad idem officium etiam in posterum constanter praestandum; neque consequenter inuoluat consensum tacitum in futuram praestationem: consuetudo obligationem pactitiam pro futuro non operatur.

§. 22.

Nec etiam ex nuda commissione actionis indifferentis, vel pluries et semper eodem modo repetitae, recte colligitur, me velle renunciare iuri atque libertati meae naturali, vi cuius eandem actionem, quam committo, et omittere possum, et actionem, quam haecenus constanter commisi, in futurum omittere prohibitu possum. Quod inuersa vice et de omissione actionis indifferentis valet.

§. 23.

Neque firmitus argumentum consensus taciti ex silentio petitur. Consentit omnino, qui quum loqui poterat et debebat, fileat. Verum si ponatur diuturna patientia facti alterius, quod pati non teneor, sine vlla vmquam protestatione interposita; ex hoc silentio nondum elicitor consensus quoad futuram patientiam.

Pro-

Probanda prius foret obligatio ad protestandum, nisi ius meum amittere malim; quae tamen nequit probari, quod haec obligatio contrariatur libertati naturali, iuri connato.

## §. 24.

Sunt alii Iuris Naturalis consulti, qui ex *praescriptione* euincere vim obligandi Iuris Gentium Practici contendunt. Sed neque huic argumentationi ad stabiliendam vim consuetudinum stringentem aliquid proderis inest. Quum enim praescriptio ipsa non sit Iuris Naturalis, neque pacto expresso vniuersali inter gentes Europae recepta; aut nulla omnino praescriptionis inter Gentes est validitas, aut, si qua fuerit, deriuatur e consensu tacito. Atque ita a praescriptione ad prius argumentum est reuertendum.

## §. 25.

Ergo cuilibet genti naturaliter ius est, voluntate in contrarium declarata officium consuetudinarium denegandi, ipsamque ideo consuetudinem hac ratione respectu sui, quoad se ipsam concernit, abolendi.

## §. 26.

Enimuero quum ordinaria praesumantur, et hinc cuilibet ius sit, id, quod alter facere more consueto solet, contra ipsum praesumendi; quaelibet gens *praesumitur consentire* in haec consuetudines, donec voluntatem contrariam sufficienter declaret.

## §. 27.

Huic iuri praesumendi consensum alterius gentis in ea, quae consuetudo fert, respondet *obligatio* alterius gentis, si dato casu a consuetudine sibi cognita recedere malit, *voluntatem contrariam, tum quando eam nosse interest alterius, id est, re adhuc integra, sufficienter declarandi*. Alias detrimentum, quod alteri genti inde enascitur, imputandum huic tamquam auctori damni vel iniuriae.

## §. 28.

Quamobrem si quoddam negotium inter duas gentes est suscipiendum, circa quod consuetudo quaedam inualuit: gens, quae hanc consuetudinem nouit, atque, antequam negotium suscipiatur, ei non contradicit, quum nullum adsit impedimentum; quoad hoc certe negotium in ea, quae fert consuetudo, consentire non tantum praesumitur, sed etiam intelligitur.

## §. 29.

## §. 29.

Roboratur haec obligatio, voluntatem consuetudini contrariam ei, cuius interest, re adhuc integra, significandi; ex *pactis amicitiae*, quae inter omnes fere Europae Gentes vigent. Quae quidem nisi reputari debeant *mere inania*, quibus nihil omnino promittitur, quod absonum; vel *puđenda*, quibus omıssio laesionis promittitur, qualis promissio statum gentium non naturalem sed belluinum redoleret; vel denique talia, quibus indistincte quaelibet charitatis officia promittuntur, quod intentioni contrahentium, ipsa experientia teste, aduersatur: alium sanum sensum non admittunt, nisi eum, quo contrahentes censentur se sibi inuicem obligare ad obseruanda officia consuetudinaria, aut certe ad voluntatem contrariam, si quam aliquando habuerint, tempestiue seu re adhuc integra, alteri declarandam.

## §. 30.

Patet itaque, officia consuetudinaria, quamvis perfecte non debeantur, atque hinc declarata voluntate in contrarium denegari citra iniuriam possint; tamen *modo iniusto* denegari, si gens voluntatem contrariam alteri, re adhuc integra, non significauerit.



## §. 31.

Atque ita intelligitur, in quo consistat modus denegandi officium consuetudinarium ab ipso Iure Gentium Naturali praeceptus.

## §. 32.

Denegatur vero tale officium vel in praesens dumtaxat tempus, vel simul in futurum; pro dato nempe casu tantum, aut etiam pro quibusvis casibus in posterum euenturis.

## §. 33.

Vtrique facto quaedam inest violatio obligationis et officii consuetudinarii, atque transgressio legis vsualis. Ea vero, quae posteriori facto continetur, speciatim vocari potest *recessio a lege et obligatione consuetudinaria*. Qui declarat, se legem hac vice observare nolle, committit contra legem; qui declarat, se numquam amplius velle observare legem, is demum recedit a lege.

## §. 34.

Quamobrem et committere contra legem consuetudinariam, et ab ea plane recedere licet genti; dum non fiat modo iniusto. Neutra igitur officii soliti denegatio et suetae obligationis

tionis violatio hoc casu ad laesiones et iniurias alteri genti illatas, sed ad offensas dumtaxat pertinet; neque ideo isti genti exinde aduersus illam causa belli iustifica nascitur.

## §. 35.

Sed quamquam hac ratione Ius Gentium Practicum debile et fluxum Ius videtur, quod eius custodia ita quidem vt Iuris Naturalis stricti custodia, violentis mediis belloque extorqueri non possit: tamen supersunt alia media satis dura atque molesta, quibus ad obseruanda officia consuetudinaria compellere gens gentem valet.

## §. 36.

Pertinet huc generatim quum denegatio reciproci seu retorsio iuris, iniqui puta,

## §. 37.

tum denegatio aliorum officiorum solitorum,

## §. 38.

immo coniunctio cum aliis gentibus eo fine, vt genti eiusmodi inofficiosae a pluribus gentibus consociatis par pari referatur, vel reliqua etiam officia consuetudinaria non praestentur.

## §. 39.

Atque horum mediorum vsus genti, contra quam adhibentur, eo grauior atque acerbior existit, quod pro eo, qui inter Gentes Europae nunc quidem intercedit, nexu multiplici, quaelibet gens aliarum gentium amicitia et auxilio pluribus modis subinde indigeat.

## §. 40.

His rationibus suaforiis, quibus munitur Ius Practicum, accedit ipsius, qua magna pollet in animos hominum, vis consuetudinis;

## §. 41.

quin et ea, qua summus quisque Imperans populo suo tenetur, obligatio ad promouendam salutem publicam cauendaque, quantum fieri potest, eius impedimenta, quae violatis erga alias gentes officiis consuetudinariis non possunt non exoriri, multumque reipublicae afferre detrimenti.

## §. 42.

Tot tantisque quasi fulcris sustinetur obseruantia gentium, horumque motiuorum virtute vnita vigor eius semper seruabitur; vt adeo Iuri Gentium Practico non minor ipso vsu, quam Iuri Naturali, constet sua auctoritas sancta atque inuiolabilis.

## §. 43.


## §. 43.

Quamuis inficias non imus, Ius nostrum esse mutabile atque temporarium: quod nimirum immutabilitas atque perpetuitas ea significatione, qua Iuri Gentium Vniuersali competit, Iuri Practico tribui nequit.

## §. 44.

Ceterum ex dictis euidenter patet, cognitionem Iuris Gentium Practici et vtilissimam esse et magnopere necessariam.





## IVRIS GENTIVM PRACTICI

## SECTIO II.

## IVS PACIS.

## §. I.

Sollicite distinguendus est status gentium, quo bello concertant, ab illo, quo degunt bello inter ipsas non existente. Longe alia est officiorum, iurium, obligationum consuetudinariarum ratio, quae in statu pacis, quam quae in statu belli obtinent. Tempore belli plures consuetudines, quae pacis tempore observantur, cessant, quibusdam tamen perdurantibus: et inversa vice dantur consuetudines aliae, quibus non nisi exorto bello est locus.

## TITVLVS I.

DE OBSERVANTIA GENTIVM CIRCA  
CONSERVATIONEM ET LIBER-  
TATEM REIPVBLICAE.

## §. I.

Quum Gentes Europae hodiernae in statu degant non absoluto, sed maximopere hypothetico; iura ipsarum et obligationes naturales

rales absolutae, quae omnibus sunt eadem et mere negatiuae, variis mutatae modis.

## §. 2.

Scilicet dantur iura atque obligationes Gentium nostrarum diuersae, inaequales, affirmatiuae; quae tum ex pactis deriuantur, tum ex possessione etiam atque obseruantia.

## §. 3.

*Papa* seu Pontifex Maximus ab omnibus Gentibus Religioni Romano-Catholicae additis agnoscitur communis Hierarcha, hoc est summus in rebus ecclesiasticis imperans, tamquam Apostolorum successor atque Vicarius Dei.

## §. 4.

Limites tamen imperii huius sacri seu ecclesiastici in singula quavis Republica ex concordatis vel possessione definiuntur.

## §. 5.

Quamobrem summa Papae potestas non in omnibus Ciuitatibus Romano-Catholicis est eadem, sed laxior alibi, alibi restrictior.

## §. 6.

Et in vniuersum maxima pars imperii Hierarchici, quale medio aeuo, Monarchiae instar Vniuersalis, floruit, ut Pontifices temporalia quoque Regum et Populorum liberorum inuaderent, atque Papatus iugo Gens Christiana quaeque ingemisceret; recentioribus temporibus deleta.

Ernst Salom. CYPRIAN'S überzeugende Belehrung vom Ursprunge und Wachsthum des Pabstthums, 5te Aufl. Frankf. 1736. 8.

## §. 7.

Supersunt tamen Papae multa et magna iura hierarchica, quae vi pactorum vel obseruantiae vbique gentium suarum exercet circa negotia ad ecclesiam spectantia:

§. 8.  
quum in personas, qua subditos, siue sint laici,

§. 9.  
quo etiam ipsi Summi Imperantes eorumque familiae pertinent,

§. 10.  
siue clerici, tamquam Hierarchiae officiales;

§. 11.

## §. 11.

tum in bona ecclesiastica.

## §. 12.

Quoniam porro Gentes Romano-Catholicae vnā constituunt Ecclesiam sub imperio vnus supremo; inde efficitur societas quaedam plurium Gentium Europaearum perpetua, quae sicut in aliis ad Monarchiae formam, ita in aliis ad systema foederatarum Rerumpublicarum accedit, et quod ad posteriorem respectum appellari potest *Corpus Gentium Catholicarum*.

## §. 13.

Gentes Catholicae vi huius vinculi socialis, quod per varia Ordinum Monasticorum corpora arctius cohaeret, religionis et ecclesiae suae commoda tamquam salutem communem iunctis promouere student viribus sub regimine vnus capituli: cui magna per clerum in ipsas conscientias est auctoritas, cuique dispensandi a legibus non tantum humanis quibuscumque, sed a Diuinis etiam tam Naturalibus quam Positiuis in fauorem ecclesiae tribuitur potestas.

## §. 14.



## §. 14.

Atque ita hoc Corpus Gentium Catholicarum ex maiori et potentiori Ciuitatum Europaearum parte compositum, Gentibus A Catholicis et Euangelicis tamquam parti debiliori, nullo imperii communis, ne quidem societatis vinculo vnitis, immo ipsa religione diffidentibus et quasi familiis segregibus, quae praeterea tamquam rebelles a Pontifice spectantur; aliquoties iam exstitit valdopere periculosum.

## §. 15.

Praeter Pontifices Romanos etiam *Romani Imperatores Christiani* sibi aliquod imperium in Orbe Christiano vniuersale olim arrogauerunt, quod ipso Papatu est antiquius, et cum titulo Imperii Romani transiisse ad Francos tandemque ad Germaniae Reges creditum.

## §. 16.

Ortum imperium hocce quum ex potentia horum Monarcharum maiori, vnde agnoscebantur Protectores et Defensores Ecclesiae supremi sub titulo Aduocatorum Ecclesiae et Christianitatis; tum ex iure, quo tamquam successores in antiquo Imperio Romano se autumabant Dominos mundi.

## §. 17.

## §. 17.

Itaque Imperator Romano-Germanicus habebatur alterum Christianorum Populorum Caput commune, saeculare scilicet, subordinatum tamen Papae, ceu Capiti Ecclesiastico, vt praestant sacra profanis.

## §. 18.

Ast hoc imperii simulacrum, quod nec vniquam vniuersaliter est agnitum, recentiori aetate, qua imperium certe in reliquas Gentes Christiani nominis, prorsus euanuit. Superstant tamen quaedam vestigia iuris praeeminentis, intuitu sedis Pontificiae atque respectu dignitatis Imperatoribus Romano-Germanicis competentis.

Dieter. Wilh. MATTHIAE diss. de praeeminentia Imperatoris-Germanici, Erfurti 1677.

Ioh. Iac. HELFERICHII diss. de Ecclesia Romana Sedeque cum primis Pontificia morte Imp. Caroli VI. summo Aduocato orbata, Tubingae 1741.

## §. 19.

Ceterum ius Gentium Europae circa sui conseruationem libertatemque suam latius ex obseruantia patet, quam quidem e theoria Iuris Vniuersalis potest demonstrari.

## §. 20.

## §. 20.

Frequens abusus praepotentiae aliquorum Europae Principum Saeculo XVI. et XVII. effecit, vt reliquis minoris potentiae Gentibus ex hoc tempore omnis praepotentia crescens vnus censeatur tremenda, hoc est cum libidine propagandi imperii fines in perniciem vicinarum gentium coniuncta.

## §. 21.

Vnde consequenter metuenda communis tranquillitatis turbatio continua atque bella perpetua, vt adeo securitas vicinarum gentium numquam non sit incerta, et libertas semper in periculo versetur;

## §. 22.

tandemque praepotentia vnus, oppressis paulatim gentibus reliquis, in Monarchiam Europae abiret Vniuersalem;

## §. 23.

vtque adeo vno verbo tranquillitas, securitas atque libertas Gentium communis cum praepotentia crescente consistere nequeat.

Le Bouclier d'Etat et de Justice (par Mr. le Baron de l'ISOLA), 1667. 12.

## §. 24.

## §. 24.

Hinc nata idea *aequilibrii inter gentes Europae*, atque adoptatum a Gentibus minoris potentiae principium de conferuando hoc aequilibrio, tamquam medio communis conferuationis necessario.

Ioh. Iac. LEHMANNI *Trutina vulgo Bilanx Europae*, norma belli pacisque haecenus a summis Imperantibus habita, cuius fundamentum, iura et officia ex genuinis Iuris Gentium fontibus euoluuntur, atque iis, quae in pace nuperrima Ultraiectina aliisque huius generis pactionibus acta sunt, illustrantur, Ienae 1716. 8.

Ge. Ludov. Erasmi ab HVLDENBERG *diff. de aequilibrii alioque legali Iuris Gentium arbitrio in Gentium controuersis pacis tuendae causa interposito*, Helmst. 1720.

Io. Fridr. KAYSERI *diff. de tuendo aequilibrio Europae*, Gieff. 1723.

Lud. Mart. KAHLII *diff. de trutina Europae*, quae vulgo appellatur die Balance von Europa, praecipua belli et pacis norma, Gotting. 1744. Gallice: la Balance de l'Europe considerée comme la regle de la Paix et de la Guerre, Gotting. eod. a. 8. Huic scripto oppositae (STISSER's) *Erinnerungen wider Herrn KAHLIENS Abhandlung von der Balance von Europa in einem Sendschreiben*, Leipz. 1745. 8. *Eben dess. Fortsetzung der Erinnerungen &c.* Leipz. 1746. 8. *Responsum scripto: Erläuterungen der Europäischen*  
schen

schen Balance, worinnen des Hrn. Kahlens Abhandlung beffätiget und vertheidiget wird.

I. H. G. von IVSTI Chimäre des Gleichgewichts von Europa, Altona 1758. 4.

§. 25.

Atque ita metus praepotentiae vnius crescentis habetur iustus, neque illicitum existimatur, vel adhibita vi praecauere, ne potentia exsuperans limites suos transfiliat, atque nouis subinde augmentis in immensum serpiat.

§. 26.

Hinc itaque stabilitur ius quoddam cuique Gentium Europaearum competens, ad aequilibrium inter se inuicem conseruandum impediendamque praepotentiae vnius amplificatiōnem, ne scilicet exsuperantia potentiae, qua gens pollet, in maius excreseat.

§. 27.

Quod quidem ius, tamquam ius veri nominis a plurimis Europae Gentibus publice est assertum, vt pro chimaera haberi neuti- quam possit.

§. 28.

Inde consequitur ius ad ea omnia, sine quibus aequilibrium istud conseruari, et nouorum  
prae-

praepotentiae incrementorum accessio impedi-  
 diri nequit; ideoque ius in hunc finem vires  
 iungendi, foedera fanciendi, bellum genti  
 praepotenti inferendi.

§. 29.

Nec minus inde deducitur ius, libertatem  
 gentis potentia exsuperantis hac de causa re-  
 stringendi, seque negotiis eiusdem publicis  
 immiscendi;

§. 30.

quin et eiusdem finis gratia tertiae gentis  
 libertati limites figendi, negotiisque ipsius  
 domesticis vel extraneis sese immiscendi,  
 quantum opus est.

§. 31.

Atque ita ius, quod natura cuique compe-  
 tit contra laesionem imminentem, a periculo  
 laesionis praesenti et propius instanti ad peri-  
 culum aliquanto remotius distans et quasi e  
 longinquo imminens, obseruantia Gentium Eu-  
 ropae, in maiorem securitatem omnium ex-  
 tenditur.

§. 32.

Quum vero periculi, etiam illius, quod praefens non instat, plures dentur gradus; manifestum est, principium hoc de iure conferuandi aequilibrui in applicatione ad singulares casus pro datis circumstantiis magis etiam vel minus a Iure Gentium Vniuersali recedere.

§. 33.

Pro hodierno Gentium nostrarum statu non tantum de aequilibrio inter Gentes Europaeas generatim disputatur;

§. 34.

sed etiam speciatim de aequilibrio inter Gentes Septentrionales: vnde dispesci potest *Aequilibrium Europae in Australe et Boreale.*

§. 35.

Quin proximis his annis non solum de *aequilibrio terrestri*, sed de *maritimo* quoque mota est quaestio.

I. H. G. von IVSTI Chimäre des Gleichgewichts der Handlung und Schiffahrt, Altona 1759. 4.

TITV-

## TITVLVS II.

DE OBSERVANTIA GENTIVM CIR-  
CA DIGNITATEM REIPV-  
BLICAE.

## §. I.

Nulla Gentium Europae hodiernarum existi-  
matione illa bona simplici, qua vi Iuris  
Vniuersalis fruitur, contenta;

## §. 2.

sed quaelibet simul Gens *dignitatem* quam-  
dam possidet et estimationem simplici maio-  
rum, immo aliquae gentes dignitatem dignitate  
aliarum maiorem, quae a reliquis Europae Gen-  
tibus publice agnoscitur.

## §. 3.

Namque dignitas ista manifestatur certis  
honoribus, quos sibi inuicem exhibere solent  
Gentes Europae.

## §. 4.

Qui honores consistunt tum in verbis tum  
in actibus certis honorificis: talibus nempe,  
qui ex vsu valent tamquam symbola dignita-  
tis,



tis, quibusque adeo gens genti declarat suam de ipsius dignitate opinionem.

## §. 5.

Hinc inuenta tot verba sollemnia formulaeque sollemnes, quibus inuicem vtuntur gentes, quo et tituli singularum Ciuitatum atque Principum referendi. Complexio horum verborum atque formularum sollemnium ac honorificorum magnam partem *Stili Curiarum* atque *Cancellariarum*, et generaliori nomine *Stili Publici* constituit.

## §. 6.

Inde et deriuantur, qui negotiis inter gentes intercedentibus more consueto accedunt actus sollemnes, ad *ritus curiarum*, et generalius ad *ritus publicos* pertinentes, quorum complexus *Rituale Publicum* potest appellari.

## §. 7.

Inde vno verbo oriuntur ceremoniae inter gentes nostras vsitatae, quae ad *ceremonias publicas*, earumque summa ad *Ceremoniale Publicum* pertinet.

## §. 8.

## §. 8.

Datur autem *Ceremoniale Publicum* cuiusque Ciuitatis tum *domesticum* seu intrinsecum, tum *extraneum* seu extrinsecum: istud, quod respicit ceremonias gentis intuitu exterorum et speciatim intuitu aliarum gentium, vnde per excellentiam vocari potest *Ceremoniale Gentium*; illud, quod spectat ceremonias, quae inter personas publicas eiusdem ciuitatis obtinent.

## §. 9.

*Gentium* nostrarum *Ceremoniale* aliud est proprium, quod inter duas vel pauciores receptum; aliud *commune*, quod inter omnes vel plurimas viget.

Gottfried STIEVE'NS Europaeisches Hof-Ceremoniel, andere verm. Aufl. Leipz. 1723. 8.

Ioh. Christian LVNIG'S Theatrum Ceremoniale Historico-Politicum, II. Theile, Leipzig 1719. und 1720. fol.

Le Ceremonial Diplomatique des Cours de l'Europe par Mr. ROUSSET, Amsterdam et la Haye 1739. II. tomes fol. Qui sunt tomus V. et V. seu vltimus tomorum V. des supplement du Corps Diplomatique.

## §. 10.

Ceremoniae in vniuersum considerari possunt vel historice, vel philosophice: atque, si philosophice considerentur, iterum potissimumque politice vel iuridice spectari possunt. Vnde diuersae Disciplinae Ceremoniales concipiuntur; praecipue *Historia Ceremonialis* seu Ceremoniale Historicum, *Prudentia* atque *Politica Ceremonialis*, *Ius Ceremoniale*.

## §. 11.

Ceremoniae Gentium non vnum omnes finem habent, faciuntque vel ad testificandam amicitiam aut aestumationem erga aliam gentem, vel ad propriam dignitatem significandam, in specie ad splendorem certis actibus publicis conciliandum.

## §. 12.

Iungi tamen in eodem actu ceremonioso plures fines possunt,

## §. 13.

et generalior omnium ceremoniarum finis constituitur in obseruando decoro.

## §. 14.

## §. 14.

Origo Ceremoniarum generatim repetenda ex studio dignitatis et gloriae, quo gens quaeque, moratiores praeprimis, feruntur.

## §. 15.

Maior pars Ceremoniarum monarchiis aulisque principum ortum debet, illae potissimum, quae non tam grauitatem negotiorum, circa quae ceremoniae adhibentur; quam potius dignitatem et splendorem personarum, quarum sunt, quae suscipiuntur, negotia, conernunt.

## §. 16.

Et quemadmodum ab aulis in vitam ciuilem priuatam effusae ceremoniae complures, ita etiam translatae ad negotia cum aliis gentibus suscepta.

## §. 17.

Vt enim vel maiestas personalis vel amicitia et aestumatio personalis exprimeretur, Monarchae quidam in negotiis inuicem tractandis multas easque splendidissimas adhibere ceremonias paulatim sueuerunt.

## §. 18.

Quas ceremonias postea aliae gentes imitatae sunt. Prona scilicet gens quaeque ad honores alteri tribuendum, ut honores ab ipsa vicissim reddantur; ad dignitatem aliarum gentium agnoscendum, ut sua pariter agnoscat.

## §. 19.

Adoptatae tales ceremoniae a Gentibus etiam non-Monarchicis, quantum per formam et conditionem Reipublicae cuiusque licuit.

## §. 20.

Vigent enim inter Principes Europae Familiasque Regnatrices ceremoniae quaedam formulaeque sollemnes et ritus publici peculiare, Rebuspublicis strictè dictis incognitae, ex. gr. tituli consanguinitatis varii.

## §. 21.

Amplissimus est campus doctrinae ceremonialis Gentium nostrarum. Nam primo circa omnes fere euentus, qui aliquo modo gentem quamdam contingunt, actus quidam ceremoniales, cuius euentui specialiter accommodati, inter ipsam aliasque gentes celebrantur;

## §. 22.

## §. 22.

vt non tantum negotiis publicis veri nominis adiectae ceremoniae; sed multa quoque negotia suscipiantur mere ceremonialia. Facilis quippe gens quaeque ad quamlibet amplectendam occasionem honorum aliis testificandorum, ne ab aliis vlla ad reddendos honores praemittatur occasio.

## §. 23.

Porro differunt ceremoniae Gentium tum generatim pro diuersa cuiusque in ordinando Ceremoniali suo voluntate; tum maxime pro varia relatione ac diuersa dignitate, quae inter hanc aliamque quamlibet gentem, vel etiam ea, quae inter cuiuslibet gentis repraesentantes et mandatarios intercedit.

## §. 24.

Vt taceam mutationes atque innouationes, quae successu temporis circa ceremonias Gentium contingere solent.

## §. 25.

Gentes Europae potentiores sibi adquisuerunt praecipuum ceremoniarum et honorum,

## §. 26.

quin praecedentiam, tamquam dignitatis maioris symbolum.

## §. 27.

Quod quum aliis gentibus minoris potentiae graue videretur, ad eosdem honores recuperandamque dignitatis aequalitatem adspirare,

## §. 28.

simul tamen praerogatiuam honorum et prooedriam intuitu impotentiorum gentium exercere coeperunt.

## §. 29.

Sic magna omnium de conseruanda vel amplificanda dignitate exorta aemulatio infinitas peperit de ceremoniis, honoribus, praecedentia contentiones et lites, quae partim et hodienuum agitantur.

## §. 30.

Ad quas quidem lites quum componendas tum praecauendas non suppetit medium aliud, nisi vt stetur pactis vel obseruantiae et possessioni.

Christian. Gottfried. HOFFMANNI diff. de fundamento decidendi controuersias de praecedentia inter liberas gentes, Lips. 1721.

Lud.

Lud. Mart. KAHLII diff. de praecedentia gentium, Gottingae 1738.

§. 31.

Ceterum ad tuendum melius dignitatem partam Magistri Ceremoniarum Supremi ubique gentium creati, tamquam officiales publici, ceremoniarum directores dignitatisque reipublicae custodes.

§. 32.

Ex hoc tempore omnis actus ceremonialis publicus, quo honoribus consuetis alterius gentis aliquid detrahitur, iniuria destinato consilio illata censetur: unde genti, cuius dignitas violata, ius nascitur, satisfactionem a gente iniuriante exigendi, nisi ista absentiam doli probauerit.

§. 33.

Quod speciatim ius praecedentiae et gradus dignitatis diuersos attinet, obseruandum, *Gentes Europae* quum Monarchicas tum non-Monarchicas, quae et Rerumpublicarum nomine strictius sumto appellitari solent, pro maiori vel minori, quam possident, dignitate, ipsas in *Maiores* et *Minores* dispesci.

§. 34.



## §. 34.

Ad *Monarchias maiores* referuntur, quaecumque Imperii vel Regni titulo recepto insigniuntur, vna cum Pontifice Romano.

## §. 35.

Monarchiae maiores, quae singulae a suo proprio principe reguntur, longe plures olim exstiterunt. Hodie earumdem in Europa Christiana numerantur XIV :

I. Daniae Regnum, cui Norvegiae Regnum vnitum,

II. Galliae Regnum cum Nauarrensi,

III. Germanicum Imperium seu potius Regnum, cui titulus Romani Imperii atque Regni Italici accessit,

IV. Hispaniae Regnum, plurium Regnorum complexio,

V. Hungariae Regnum cum Bohemia,

VI. Magnae Britanniae Regnum cum Hibernia,

VII. Poloniae Regnum,

VIII. Pontificatus Romanus,

IX. Portugaliae Regnum seu Lusitania cum Algarbiis.

X. Prus-

- X. Prussiae Regnum,
- XI. Russiae Imperium,
- XII. Sardiniae Regnum,
- XIII. Siciliae vtriusque Regnum,
- XIV. Sueciae Regnum cum Gothia.

§. 36.

Reliquae *Monarchiae* Europaeae omnes sunt *minores*. Eoque pertinent tum

§. 37.

*Ordo Equitum Melitensium*, cui iura Principatus liberi competunt; tum

§. 38.

Principatus immediati alique Status Monarchici seu Ecclesiastici seu Saeculares Imperii Romani-Germanici, item

§. 39.

Principatus Italiae Immediati et denique

§. 40.

Curoniae Ducatus:

§. 41.

qui Principatus omnes sunt Monarchiae subordinatae.

§. 42.

## §. 42.

Ad *Respublicas maiores* referuntur

I. Veneta *Respublica*,

II. Belgii Foederati *Respublica* seu potius *Systema foederatarum Belgii Rerumpublicarum* siue *Corpus Belgicum*,

III. Heluetica *Respublica* seu *Corpus Helueticum*.

## §. 43.

Reliquae *Respublicae*, siue sint liberae siue subordinatae, quales sunt omnes Imperii R. G. vrbes liberae, *minoribus Rebuspublicis* accensentur.

## §. 44.

*Genuensis* tamen *Respublica* medio quodam gradu inter maiores atque minores *Respublicas* consistit.

## §. 45.

*Monarchiae* maiores tuentur dignitatem maiorem intuitu tum *Rerumpublicarum* omnium, tum *Monarchiarum* minorum;

## §. 46.

aequalem vero inter se inuicem.

## §. 47.

## §. 47.

Omnes tamen Monarchiae maiores Imperatorem Romano-Germanicum agnoscunt primum inter sese pares.

## §. 48.

Monarchiae autem ac Respublicae Romano-Catholicae, tam maiores quam minores, *Papam* venerantur tamquam dignitate eminentiorem.

## §. 49.

Honores consuetudinarii illi, qui Monarchis maioribus tribuuntur, et hinc dicuntur *honores regii*, omnium inter Principes saeculares vsu receptorum sunt maximi.

## §. 50.

Quamobrem aequales et iidem sunt honores, qui a Monarchis maioribus sibi inuicem exhibentur, ita vt Rex Regis nullam agnoscat praerogatiuam.

## §. 51.

Attamen Imperatori R. Germanico competit ius praecedentiae atque honorum praecipuum respectu Monarcharum Saecularium quorumcumque;

## §. 52.

§. 52.

non vero Rufforum Autocratori, licet et ipse Imperatoris fulgeat titulo.

§. 53.

Regiis honoribus fruitur ex antiqua possessione Respublica Veneta.

§. 54.

In eorundem communionem proximo abhinc saeculo receptum Belgarum Foederatorum

§. 55.

et Heluetiorum Corpus;

§. 56.

recepti item Principes Electores Germaniae.

§. 57.

Quare Electores vna cum tribus istis Rebuspublicis 1) se Regibus dignitate exaequant, ita quidem, vt Regum ius prooedrias agnoscences proxime atque immediate eosdem contingant; 2) reliquis vero seu Monarchis minoribus seu Rebuspublicis omnibus se digniores aestiment.

§. 58.

§. 58.

Principum Electorum, sicut reliquorum Imperii Romano-Germanici Statuum, ius ordinis et praecedentiae erga se inuicem ex loco, quem in Comitibus Imperii tuentur, determinatur.

§. 59.

Ipsi vero Electores cum Rebuspublicis maioribus,

§. 60.

quemadmodum et hae Respublicae inter se inuicem,

§. 61.

et reliquae minores Monarchiae ac Respublicae inter se inuicem modis fere innumeris de praecedentia contendunt.

§. 62.

Vana fuit Iulii II. Pontificis decisio in stabiliendo ordinis et praecedentiae iure, a Gentibus totius orbis Christiani obseruando.

§. 63.

Irrita etiam Concilii Tridentini circa eandem rem molimina.

D

§. 64.

§. 64.

Aequales dignitate vel de praecedentia disceptantes variis modis in conflictu ius suum tueri solent.

§. 65.

Ceterum gentes litigantes Mediatori aequalis dignitatis in tractatum negotiis sponte cedunt,

§. 66.

vt et Princeps quisque in suo territorio Principi extraneo aequali.

§. 67.

Ceremoniarum et praecedentiae ius inter ipsas gentes vsitatum, certa proportione seruata, etiam ad personas dignitate ciuili eminentiori ornatas applicari solet.

Iac. GOTHOFREDI diatribe de iure praecedentiae, ex secunda edit. Geneuae 1664. 4.

Iac. Andr. CRVSI tractatus politico-iuridico-historicus de praeceminentia, sessione, praecedentia et vniuerso iure prooedrias magnatum in Europa, Breae 1666. 4.

Zachariae ZWANZIG's theatrum praecedentiae oder eines Theils illustrer Rangstreit und andern Theils illustre Rangordnung, 2da edit. Francof. 1709. fol. Prima edit. sub Eberhardi ZWEYBURGI nomine 1606. fol. prodiit.

Ioh. Chrph. HELLBACHII meditationes iuris prooedriae moderni eiusdemque tum publici tum priuati, ex fontibus dignitatum genuinis et vsu fori hodierno demonstratae, enunciatis ac responsis selectis confirmatae, Lips. 1742. 4.

Memoires sur le Rang et la Préséance entre les Souverains de l'Europe et entre leurs Ministres Représentans suivant leurs differents Caractères par Mr. ROUSSET, pour servir de supplément à l'Ambassadeur de Mr. WICQUEFORT, Amsterd. 1746. 4.

TITVLVS III.

DE OBSERVANTIA GENTIVM CIR-  
CA TERRITORIVM REIPV-  
BLICAE.

§. I.

**G**entes Europae omnes mutuo ciuium et subditorum suorum commercio et conuersatione vtuntur, ita vt nulla gens reperiat, quae singulos peregrinos aut res eorundem a territorio suo in vniuersum et qua tales arceat.

§. 2.

Ob hanc commercii libertatem, obseruantia vniuersali stabilitam, nec peregrinis nec pere-



grinorum rebus, vt secure per territorium alienum transeant, vel in eodem commorentur atque asseruentur, opus est speciali concessione, nec ideo opus litteris commeatus liberi.

## §. 3.

Sed haec libertas, quae personis et rebus aliarum gentium datur, haud vltra vsum territorii innoxium concessa censetur, hoc est, datur haec dumtaxat, quatenus salua salute reipublicae dari posse arbitratur gens territorii domina.

## §. 4.

Namque an dato casu et in quantum haec libertas et permissio bono publico aduersetur, vel minus? eius rei arbiter atque iudex est gens territorii domina, cuius iudicio standum.

## §. 5.

Hinc in quavis Europae republica quum generatim leges quaedam constitutae, expressae vel tacitae, quibus certi peregrini aut certae exterorum res et merces a territorio excluduntur;

## §. 6.

TIT. III. TERRITORIUM REIPUBLICAE. § 3

§. 6.

tum pro re nata legibus temporariis excluduntur.

§. 7.

Immo singulos peregrinos suspectos vel res suspectas arcere territorio licet quouis tempore.

§. 8.

Deinde peregrinis aduentantibus, transeuntibus, exeuntibus eorumque rebus aliae leges peculiares praescribuntur.

§. 9.

In vniuersum peregrini priuati, hoc est qui non sunt principes nec gentis mandatarii publici, habentur subditi temporarii.

§. 10.

Hinc legibus reipublicae, in cuius territorio versantur, generalibus subsunt,

§. 11.

simul vero protectione publica et praesidio legum fruuntur, quoad vitam, libertatem, exemptionem, bona;

§. 12.

vt et quoad statum familiae.

§. 13.

Agnoscutur etiam certo modo peregrinorum dignitas, quae ipsis in republica cuique sua competit.

§. 14.

Iura autem acquirendi et succedendi, quae ciuibus competunt, variis rationibus aut restringuntur aut plane negantur peregrinis transeuntibus.

§. 15.

Principes exteri, personae stirpis regnatricis atque illustres, officiales etiam publici, si transeunt per territorium alterius gentis, publicis excipiuntur honoribus.

§. 16.

Principi et gentis mandatario publico simul libertas naturalis et plenaria immunitas a iure territoriali seu exterritorialitas tribuitur.

§. 17.

Res, quae in priuato Gentis vel Summi Imperantis Exteri sunt dominio, si per territorium alienum transportantur, nec id quaestus fit faciendi causa, vectigales non censentur.

§. 18.

§. 18.

Ius peregrinos recipiendi, eosque tamquam subditos protegendi, exercetur qua ius libertatis naturalis etiam inuita gente, cuius hactenus fuerunt subditi.

§. 19.

Et quatenus in nostro territorio talis degit peregrinus, imperium exterae gentis in ipsum non agnoscitur vi iuris nostri territorialis.

§. 20.

Hinc gens nulla patitur, vt alia ius suum contra priuatum in nostro territorio degentem propria auctoritate persequatur, quippe quo violatur ius territoriale.

§. 21.

Obligatio, qua peregrinus, qui in nostro territorio versatur, extero tamquam priuatus priuato tenetur, ad pactum seruandum, debitum soluendum, damnum datum resarciendum et similia, agnoscitur omnino; sed a iudice nostro ordinario secundum leges nostras caussa deciditur.

§. 22.

Quum vero imperium alterius gentis in nostro territorio non agnoscat; nec agnoscitur obligatio, qua peregrinus alteri genti, ceu imperanti civili subditus, tenetur.

§. 23.

Quamobrem nec ius vindicandi, nec puniendi subditum, qui in territorium nostrum aufugit, agnoscitur.

§. 24.

Quodsi itaque subditus criminis forte reus fuga salutem quaerit in alieno territorio, gens territorii domina nec ad dedendum seu remittendum, nec ad puniendum talem peregrinum obligatur.

§. 25.

Atque ita ius puniendi, quod genti cuique in suos subditos competit, sicut imperium omne suspenditur, simul atque subditus in alieno territorio commoratur. Gentique ideo, apud quam degit peregrinus, ius quoddam asyli respectu exterorum competere existimatur.

§. 26.

## §. 26.

Solet tamen litteris requisitorialibus gentis ad gentem datis id impetrari, vt homicidae, latrones et aliorum criminum atrociorum rei remittantur.

## §. 27.

Quod reliquum est, multi priuati duarum immo plurium rerumpublicarum simul sunt subditi et ciues: speciatim, qui possident in diuersis territoriis bona immobilia, feuda, dignitates, officia etiam publica;

## §. 28.

vel qui opificii aut mercaturae caussa ius ciuitatis in duabus rebuspublicis sibi adquisiuerunt.

## §. 29.

Generatim peregrinorum fors hodie fauorabilior, quoniam pleraeque gentes ad augendum incolarum numerum externos allicere student, vt domicilium in territorio suo constituent. Quem in finem aduenis varia solent priuilegia dari, tantaque interdum, quibus vel ipsis indigenis anteponuntur.

## TITVLVS IV.

DE OBSERVANTIA GENTIVM  
CIRCA MARIA.

Rich. ZOVCHAEI descriptio iuris et iudicii  
maritimi, Oxon. 1640. 4.

Ioh. LOCCENII de iure maritimo et nauali  
libri III, Amstel. 1651. 12; it. Holmiae 1652. 12.  
Reperitur etiam in Ioh. Gottl. HEINECCI scripto-  
rum de iure nautico et maritimo fasciculo, a pag.  
903.

Francisci STYPMANNI tractatus de iure ma-  
ritimo et nautico, completus et in lucem editus  
opera Antoh-Güntheri FRITZII, Gryphisw. 1652.  
4; in HEINECCI fasciculo a p. 1.

De iure maritimo et nauali: or a treatise of  
Affaires maritime and of Commerce in III. books,  
third edit. much enlarged by Charles MOLLOY,  
London 1682. 4.

Ge. Iac. LEICKHERRI commentatio de iure  
maritimo, Dresdae 1685. 12.

§. I.  
**M**are in vniuersum, quatenus orbis terra-  
rum alteram partem principalem consti-  
tuit, nullius vumquam gentis dominio subie-  
ctum, seu numquam *clausum* siue seruum fuit,  
sed potius semper *liberum* perstitit. Mare hoc  
sensu nec est, nec fuit, nec esse seruum potest.

§. 2.

x Liberi consequenter sunt Oceani maiores: Atlanticus, Septentrionalis, Aethiopicus, Indicus atque Pacificus.

§. 3.

Libera etiam sunt Europae maria circumflua maiora: Hispanicum, Aquitanicum, Britannicum, Germanicum, Album, Glaciale, Mediterraneum cum freto Herculeo; item mare Balticum.

§. 4.

Maria Europae, quatenus libera agnoscuntur, cuique Genti Europaeae patent promiscue ad nauigandum, ad piscandum, et generatim ad vtendum fruendum pro arbitrio.

§. 5.

Si naui Gentis publicae, quo principue naues omnes bellicae pertinent, obuiam fit gentis alterius naui, speciatim publica, in mari libero; recepta quaedam inter occurrentes salutatio, quae dicitur *salutatio maritima* (naualis),

§. 6.



## §. 6.

atque perficitur tormentorum aliquot explosione vel demissione velorum.

## §. 7.

In qua tamen salutatione variarum circumstantiarum,

## §. 8.

sigillatim etiam dignitatis vtriusque Gentis habetur ratio.

## §. 9.

Vt adeo salutatio naualis ad Ius Ceremoniale fit referendum.

Ioh. SIBRANDI diff. de velorum submissione, Rostochii 1691.

## §. 10.

Vigent pro re nata et aliae circa talem occursum consuetudines.

## §. 11.

Quoniam vero singulae marium partes certis finibus vel natura limitantur, vel arte limitari atque includi possunt; neque seu naturae ipsius rei, seu legi naturali repugnat, vt pars eiusmodi maris limitata dominio gentis cuiusdam

dam subiiciatur: variae etiam Europaearum  
marium partes in diuersas dominiorum partes  
distributae inter diuersas Europae Gentes re-  
periuntur.

Atque ita varia dantur Europae maria maio-  
ra, quae sunt clausa, et talia esse agnoscun-  
tur.

Ioh. SELDENI mare clausum s. de dominio  
maris libri II, Londini 1636. 12; opus aliquoties  
recusum. *Eiusdem* vindiciae maris clausi contra  
Graswinkelium, Lond. 1653. 4. Vtrumque in-  
sertum opp. SELDENI (Lond. 1726. fol.)  
tomo II.

Ioh. STRAVCHII diff. de imperio maris, re-  
cognita et emendata, quae dissertationum eius-  
dem academicarum quinque, iunctim editarum,  
est prima, Brunsvigae 1672. 4; it. Ienae 1674. 4.

Ge. Iac. LEICKHERRI dominiū maritimi de-  
scriptio, Dresdae 1683. 12.

A general treatise of the Dominion and Laws  
of the Sea (by Alex. IVSTICE), London 1705.  
4. Belgice: Allgemeene Verhandeling van de  
Herschappye der Zee door Pieter LE CLERCQ,  
Amsterd. 1757. 4.

Cornelii van BYNKERSHOEK de dominio ma-  
ris diff., adiecta eius libro ad l. 9. de lege Rhodia  
de iactu, Hagae Batauorum 1703. 8. It. inter  
opuscula curante Franc. Car. CONRADI edita,  
Halaë 1729. 4.

§. 13.

I. Maris Baltici Fretum triplex est in dominio Daniae,

II. Fretum Hibernicum seu Canalis Sancti Georgii in dominio Magnae Britanniae,

III. Fretum Siculum in dominio Regni utriusque Siciliae.

IV. Sinus Bothnici dominium sibi vindicat Suecia.

V. Ponti Euxini et Maris Aegaei dominium vna cum Bosphoro Cimmerio, Bosphoro Thracio, Propontide atque Helleponto sibi vindicat Turcia.

§. 14.

Quaedam Gentes Europaeae sibi etiam extra Europam adquisivere certorum marium dominium.

§. 15.

Immo Lusitani proximis abhinc saeculis dominium Maris Indici sibi asseruerunt, quod tamen hodie a nulla amplius gente agnoscitur.

§. 16.

Plurium marium, fretorum, sinuum Europae dominium sibi competere contendunt quaedam gentes, reliquis contradicentibus. Sic Respublica Veneta postulat dominium Adriatici Maris, Genuensis Respublica Ligustici maris, Magna Britannia dominium marium quatuor circumfluorum, praecipue Canalis Britannici et speciatim Freti Caletani.

Scriptores, qui de singulorum quorundam marium dominio certae genti competente disseruerunt, videsis in FABRICII Hydrotheologia, p. 276. art. XIV.

§. 17.

Dominium maris maioris defendi nequit, hinc nec adquiri nec possideri potest sine navibus armatis seu bellicis. Ergo ad occupandum mare majus retinendumque eius dominium requiritur classis bellica.

§. 18.

Gens classe valens *maritima* dicitur: quae consequenter potentia nauali instructa est.

§. 19.

Potentia vero naualis gentis sine multa et perpetua nauigatione priuatorum, seu piscationum

num

num seu commerciorum maritimarum caussa instituta, hodie existere nequit.

§. 20.

Quare dominium maris maioris nullum esse potest sine navigatione, nec ullum est actu nisi gentis maritimae.

§. 21.

Ceterum pars maris terrae proxima, ea certe, quae tormentorum in limite terrae collocatorum ictui subest, censetur esse in dominio gentis eius, cuius est ea terra.

§. 22.

Haec maris pars vocatur quibusdam *mare proximum*, reliquum autem *mare exterum*. Indequae regula conficitur: dominium maris proximi adquisitionem et possessum intelligitur imperio continentis seu potestate terrae.

§. 23.

Hinc gens domina territorii est domina littoris. Ad littus enim refertur extrema pars maris, quae littori praetenditur.

§. 24.

## §. 24.

Pars maris territorio ita inclusa, vt nauigantes aditu impediri possint tormentorum e terra ictibus, est gentis eius, cuius est territorium circumiacens.

## §. 25.

Portus itaque omnis, seu natura seu arte talis, est in dominio gentis, territorii dominae.

## §. 26.

Minores etiam finus et minora freta censentur esse in dominio gentis, cuius est territorium adiacens.

## §. 27.

Ad defendendum dominium minorum maris partium, quae proxime territorium aluunt, vel portu includuntur, classe opus non est. Quamobrem gentes, etiam non maritimae, littoris, portuum, sinuum atque fretorum minorum, territorio suo proximorum, censendae sunt dominae: siue illas maris partes potestate terrae, siue nauigationis exercitio possideant.

## §. 28.

Et quum Dominium, quod genti competit in certam orbis terrarum partem, sit naturaliter publicum, puta cum imperio publico in eodem loco coniunctum; maria clausa seu quae sunt in gentis cuiusdam dominio, simul subsunt iuri eiusdem territoriali, et consequenter sunt pars territorii sui.

## §. 29.

Hinc etiam sinus maris minores, freta minora, maris cuiusque pars alluens littora, portus habentur indiuidua et perpetua pars et appendix territorii eiusdem gentis.

## §. 30.

Ergo principia iuris territorialis, quae nempe circa peregrinorum priuatorum aditum, transitum, commorationem, vt et quae circa res et merces peregrinorum priuatorum valent, applicari possunt ad maria clausa, sinus et freta minores, littora, portus.

## §. 31.

In vniuersum igitur peregrini priuati, in mari alieno nauigantes vel commorantes, subsunt imperio atque iurisdictioni gentis, maris dominae.

Ioach. SCHVLTZ diff. de iurisdictione littorali, Altdorf. 1683.

§. 32.

Naues peregrinae priuatae non prohibentur nauigatione in alieno mari, etiamsi id fiat commerciorum gratia, nec prohibentur appelli ad littus alienum, nec portum alienum intrare.

§. 33.

Liciti hinc existimantur actus, quae a peregrinis priuatis in territorio maritimo alieno nauigandi et negotiandi causa suscipiuntur.

§. 34.

Legem tamen commercii et actibus reliquis praescribendi ius exercet gens territorii domina.

§. 35.

Atque hoc ius per Europam omnem seruatur. Aliter vero res comparata est quoad colonias Gentium nostrarum extra Europam sitas, vbi variis legibus exteri a nauigatione, aditu et commercii arcentur.



## §. 36.

Eo vero fine adire mare alienum, ut piscatio exerceatur, vel alii maris fructus percipiantur quaestus faciendi causa, non aequè licet.

## §. 37.

Praeterea genti, dominae maris vel portus, ius competit, exigendi a nauibus peregrinis salutationem, eiusque modum imperandi, si obuiam fiunt naui suae publicae, vel portum intrant aut praeteruehuntur; quae saluatio fieri solet submissione velorum, expositione ac expansione aplustrium, explosione tormentorum.

## §. 38.

Naues peregrinae priuatae portum adentes visitationi subsunt,

## §. 39.

atque portorio aliisque vectigalibus.

Ioh. WAGENSEIL diff. de portuum et vectigalium iure, Alt. 1685.

## §. 40.

Exigente salute publica etiam angariae ipsis imperari possunt.

Ioh.

Ioh. Frider. RHETII diff. de iure et iurisdictione ac vectigalibus portuum, et de iure ab eis, quos volunt, arcendi et angarias nauibus imperandi, Francof. ad Viadr. 1671. 4. Et in Eiusd. diff. Iuris Publici p. 487-519.

Ioh. SCHULTZE diff. de iure angariarum, vom Beschlag der Schiffe, Gedani 1696.

§. 41.

In nullo vero mari nec freto nec sinu clauso a transeuntibus nauibus exigitur vectigal, nisi a Dano in fretis Balticis.

§. 42.

*Ius vero littoris*, quale ex belluino principio, omnem peregrinum esse hostem, olim viguit, quodque in *compendio naufragiorum*, hoc est in iure sibi propria habendi bona naufragorum peregrinorum, consistit; hodie vel patris publicis vel legibus priuatis est aboletum.

§. 43.

Res itaque peregrinorum naufragae ad litus delatae non fiunt gentis captantis, littoris dominae, sed restituantur domino suo.

§. 44.

Pro labore tamen et periculo in conquirendis, seruandis et custodiendis naufragis rebus

suscepto, certa pecuniae summa soluenda. Praemium hocce seruationis, quod scilicet a naufrago pro bonis eiusmodi ab interitu liberatis soluitur, *seruaticium* vocatur.

§. 45.

Terminus etiam constitutus, intra quem is, cuius sunt res naufragae, probare dominium suum tenetur. Quo elapso, si nemo apparuit, bona naufragorum vsucapta censentur.

§. 46.

Hoc temporis spatium fere vbique annum est, vt adeo probationi domini in rebus naufragis intra annum vel annum et diem praescribatur.

§. 47.

Atque hoc ius, quod appellare licet *ius colligendi naufragii*, in locum compendii naufragiorum surrogatum, omnium nunc Europae Gentium consensu receptum est.

Iac. SCHVBACKII commentarius de iure litoris, vom Strandrecht, Hamburgi 1751. 4.

§. 48.

Ceterum dantur quaedam iura consuetudinaria peculiaria, quae inter Gentes Europae mari-

maritimas vigent respectu nauium suarum bellicarum.

Ioh. Iul. SVRLAND's Grundsätze des Europäischen Seerechts, Hannover 1750. 8.

§. 49.

Speciatim huc pertinet liber transitus nauis armatae et bellicae gentis per mare alienum,

§. 50.

atque eiusdem liber aditus alieni portus cum exemptione a visitatione et portorio.

§. 51.

Haec et similia iura censentur competere genti, quatenus tamquam maritima agnoscitur.

§. 52.

Complexus iurium horum consuetudinariorum, quae genti competunt, quatenus tamquam maritima agnoscitur, appellatur *ius admiralitatis* (admiralatus).

§. 53.

Hinc ideo nauis armata gentis, quae iure admiralitatis destituta censetur, quoad talia iura et officia consuetudinaria, habetur pro nauis mere priuata.

§. 54.


Quoniam vero peregrini priuati armati ca-  
teruatim intrare territorium alienum, vel tranfire  
prohibentur; naus eiusmodi armata, per mare  
alienum transiens vel portum alienum transiens  
vel portum alienum intrans, cenfetur gentis  
huius violare ius territoriale.


§. 55.

Vt igitur naus talismodi tranfire per mare  
alienum atque ad alienum portum appelli iure  
poffit, vtque fimul fpectetur atque habeatur  
tamquam naus bellica gentis maritimae; opus  
eft speciali concessione gentis, territorii mari-  
timi dominae.

§. 56.

Perspiciuum etiam exinde eft, gentem haete-  
nus mere terrestrem, fi parare naues armatas  
et classem habere incipit, non nisi pactis cum  
reliquis gentibus sancitis, seu expressis seu ta-  
citis, id impetrare poffe, vt ius admiralitatis  
adquirat.









U  
B